



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio Perfectionis Libri Dvo

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

Admodvm Reverendo Et Religiosissimo In Christo Patri, Domino
Christophoro Pilcmanno Præmonstratensis ordinis, in celeberrimo
Steinfeldensi Monasterio Abbati vigilantissimo, Domino ac Patrono suo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)



AD MODVM
REVERENDO ET
RELIGIOSISSIMO
IN CHRISTO PATRI, DO-
MINO CHRISTOPHORO PILC-
MANNO Præmonstratenſis ordinis, in celeberrimo
STEINFELDENSIS Monasterio Abba-
ti vigilantiffimo, Domino ac Patrono
iſto multis nominibus colen-
diſſimo.

Eſi antiquis ſeculis, ad-
modum Reu. & religio-
ſiſſ. in Chriſto Pater, li-
bri non ſubijciebantur
prælo; tamen, quoniam
bonum quo communi-
us eſt, eo eſt diuinius, à Chriſtianiſ ſcri-
bebantur, & deſcribebantur plurimi, et-
iam ab hiſ qui in compedibus & vinculis
detinebantur, vt populos vbique ad pro-
feſſionem fidei, pietatemque inflamma-
rent, errantesque conuerterent Vno
quidẽ tempore, ſub Imp. Copronymo,
* 2 in

EPISTOLA

in vno carcere, quemadmodum referunt Zonaras, Nicephorus, Damascenus, inuenti sunt Religiosi trecenti quadraginta duo, quorū alij præcisas nares, alij exsectas aures, quidam euulsos oculos, nonnulli truncatas manus habebāt, propterea quod pro cultu sacrarum imaginum scripsissent. Omni vero tempore, non solum vitæ probitate celebres, verum etiam doctrinæ varietate insignes viri quamplurimi libris scriptis, hæreticorum diabolica inuenta, & vesanæ mentis ineptias prolixè, copioseque redarguerunt. Semper enim pius Ecclesiæ sponsus, dilectissimæ suæ sponsæ eos dedit Doctores atque scriptores, qui sese murum pro domo Israel ponerent, impiorumque hæreticorū conatui resisterent, atque pro puteis Patrum nostrorū pugnarent. Quod multi scriberent causa erat ardor fidei, & Zelus Religionis quem in eorum pectoribus spiritus S. accenderat; quod autē ita inter se scribendo conuenirent, & quasi conspirarent, vt eadem omnes repetere atque inculare viderentur, inde fiebat, quod antidotū veneni eiusdem ex eodē fonte, eodē spiritu hauserant, & ex iisdē præsidijs, aduer-

DEDICATORIA.

aduersus eosdem hostes, de eadem possessione, eodem auctore ac duce DEO pugnabant.

Si veteres illi tanto ardore cum ipsi scribebant, tum alios ad scribendum pro-uocabant cum vna vel altera hæresi orbis terræ laboraret, & inter hæreticos nõ admodum multi scriberent, & nondum aurea nostra ars Typographica excogitata esset (quæ ex vno volumine multa librorum examina extrudit.) sanctissimo labore, & scriptores & Typographos Catholicos occupari mihi psuadeo hoc nostro seculo, quo & in numerabiles hæreses Ecclesiam vntique lacerant, & rari sunt apud aduersarios, qui non aliquid scribunt quorum libri non iam vt cancer serpunt, sed velut agmina locustarum volitant, & non multis solum hominibus quotidie pestem, sed totis sæpe Prouincijs perniciem adferunt. Neque certe tam multi hæretici & infideles viua voce Doctorum edocti Christo nomina dederunt quam ope eiusmodi librorum, qui pleni sunt sapientiæ, sanctitatis, & grauitatis, & in quibus nulla est vanitas, nulla inutilis curiositas, sed omnia sunt seria, & animis formandis ad omnẽ vir-

* 3

tutem

E P I S T O L A

tutem aptissima, seu, in quibus id agitur, ut homines ab omni flagitio deterreantur, & ad omnem virtutis ornatum informentur.

Huiusmodi libris infiniti ad summam Sanctitatem, & numinis Diuini familiaritatem peruenerunt.

Atque inter hosce libros non postremo loco collocandi sunt. R. P. IOANNIS CROMBECII Libri duo DE STUDIO PERFECTIONIS. Ut enim intelligatur quam necessarium sit eos qui semel veræ pietatis exercitationi sese consecrarunt, inchoatam pie viuendi rationem constanter persequi, progressumque in singulos dies in diuino seruitio facere, ac media in eundem finem necessaria usurpare, inter multa alia hi libri admodum copiose profectum & accretionem spiritualem suadent & quibus operibus Perfectio acquiratur, quidque eam impediatur, nec non quomodo in spirituali negotiatione vitiosi habitus euellantur, virtutes inserantur, docent.

Nulli profecto libri ad curandos inueteratos hæreticorum nostræ tempestatis morbos, seu extirpandos ex eorum animis errores, his possunt esse aptiores.

Nam

DEDICATORIA.

Nam recte scribit P. Petrus Faber ad Iacobum Lainez : progrediendum cum nostris hæreticis est ab iis quæ faciunt ad bene sentiendum secundum affectus, ad ea quæ faciunt ad recte credendum id est, primum boni mores suadēdi, post sana fides. Insultant illi in præcepta Ecclesiæ, at quidnam est hoc, nisi exiguas, & pene exhaustas in se vires cognoscere ad bene obtemperandum? sunt igitur prædicatione hortatuque à pusillanimitate spiritus, qua submerguntur, erigendi, reficiendi, animandi, & sancta spe implendi, vt sibi de se ipsis polliceantur (in domini digito seu virtute) non solum quæ iubentur se effecturos, verum multo maioribus rebus suffecturos vt igitur beneficio horum librorum multi ad Christum adducantur, eos haud exiguis meis impensis, iterum hanc lucem aspicere volui. Sic enim mecum ratiocinabar: Quod si inter pietatis opera connumerantur rectum consilium, & calicis aquæ frigidæ perrectio, magnum certe caritatis opus exercebo, si optimos hosce libros industria haud vulgari per multas prouincias disseminaro ac distribuero. Vberrima enim hinc breuissimi temporis spatio messis, ad DEI gloriam erūpet.

* 4

Dum

EPISTOLA

Dum autem tot annos, admodū Reuerende, & mihi singulari semper Religione obseruande Pater, optimum & Ecclesię Catholicę valde fructuosum quęro auctore, vt eum R. V. Paternitati post adeptam prælaturam, tanquam gratulatorium aliquod trophæum, summa cum laude eiusdem, ad posteritatem transmittam, ecce commodissime sese mihi offerūt hi duo vtilissimi, & R. V. Paternitati conuenientissimi libri. Nam fera (modo fuerit vera, nec negligentia quadam prætermissa) gratulatio bonorum virorum reprehensionē effugere solet. Hunc igitur auctorem R. V. P. oblatum venio, vt sub eius nominis luce & splendore in publicum procedat. Merentur id præclarę dotes, quibus in Sanctissima Præmonstratensium familia, tanquam fidus quoddam fulges, & postulat obseruantia qua te omnes tui cognati tecum prosequuntur, summa. Nota est modestia, & religiosa conuersatio, qua ante Prælaturam in Monasterio vixisti, nota prudētia & dexteritas qua domesticum conuentum tot annis religiosè administrasti. Manifestum est te Heroicis tuis virtutibus & meritis tanquam gradibus ad tan-

DEDICATORIA.

ad tantum fastigium honoris & potestatis ascendisse. Ob hasce tuas dotes à sacra Religione tua Visitator multorum Monasteriorum deputatus es, & institutus. Nullum poterat virtutum tuarum & iudicii publici testimonium dari luculentius. Qua vero hæcenus fide, integritate prudentia, & modetatione in vtroq; munere te gesseris, nihil attinet cõmemorare, ne vel in os (quod pudori tuo est ingratum) te videar laudare, vel rebus perspicuis lucem velle adferre.

Accedit quod in hisce libris agitur DE STUDIO PERFECTIONIS. Cui ergo aptius dedicetur, quã viro in hoc studio tot annos exercitato, & tot Religiosorũ ad perfectionem tendentium seu aspirantiũ Præsidi ac moderatori, cuius est perfectionem suis commendare, eosque ad perfectionem incitare? En causas, Admodum Reuerende P. cur hosce libros tuo nomini inscribendos censuerim, spero eo animo a te susceptum iri, quo à me offeruntur. Deum Opt. Maximum precor vt R. V. P. in multos annos Ecclesiæ, ordini, patriæ, Monasterio, publico bono incolumem custodiat, & innumeris præclare factis auctam & ornatam,

* 5

nec

EPIST. DEDIC.

nec non ad summam perfectionem eue-
ctam, tandem sempiterna beatitudine
remuneret. Datum Monasterij Westph.
in officina typograph. 26. Martij Anno
1614.

R. V. P.

Humilimus cliens

LAMBERTVS RASFELDIVS
Typographus.

D.O.M.